

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0122

0120

0126

0116

0131

0111

0171

0071

0221

0021

0621

1121

Ende

Anfang

111

societatis se combinaverunt, et sub uno igne et procuratione
una steterunt. Domini vero tertiae societatis, ad quam ego
conjunctus eram, singulares fuerunt et miles dictus Petrus
Velsch per se cocus et procurator suae societatis fuit, et in
sui adjutorium adduxit pretio duos Judaeos pauperes teuto-
nicos, qui secum ibant ad forum pro emendis necessariis.
Igitur aliqui de peregrinis habebant grande desiderium ad
videndum et visitandum loca sancta in Galilaea, provinciam
Nazareth scilicet, montem Thabor, campum magnum Esdrelom,
mare Galilaeae, Capernaum, Chorazin, montem doctrinarum
Christi et montem refectionum populi et Damascum, et
caetera. Et cum super hoc consilium patris Gardiani habere-
mus et Calini majoris Trutschelmanni nostri, dixerunt nobis
multas difficultates illius peregrinationis et excessivas impen-
sas, quas habituri essemus solum ad redimendum vexationes
Sarracenorum, qui in eisdem partibus dicuntur esse infensis-
simi Christianis, ita, quod rarissime audent peregrini Galilaeam
intrare. Et pater Gardianus pro certo dixit nobis, quod
majora pericula essent in ista peregrinatione, quam ad mon-
tem Synai per desertum. Hoc ut (223 A) aliqui peregrini
audiverunt, a proposito destiterunt, resignantes peregrinationi
Galilaeae. Alii autem periculis propositis non obstantibus liben-
ter ivissent, sed ex quo divisi fuimus, intermissa fuit haec
peregrinatio, quia una pars sine altera non poterat sustinere
expensas tantas; illi etiam, qui transire solebant, murmura-
bant contra peregrinari volentes, dicentes: quod, antequam
de Galilaea venirent, tempus peregrinandi ad montem Synai
adesset, et tunc necesse esset eos exspectare; quod ipsi
nollent facere. Sed in hoc errabant, quia trinies venissent
ante recessum eorum de Jerusalem, ut patebit. Et ita propter
divisionem peregrinorum fuerunt multa omissa, quae faciliter
fecissemus, si semper unanimes fuissemus. Si enim concordes
fuissemus, cum quinque ducatis pro homine fuissemus ducti
per universam Galilaeam et ultra usque in Antiochiam, quae
antiquitus dicebatur Reblatha, ut habetur 4 Reg. 15. Praecipue
tamen desiderium habuimus videre Nazareth. Nam nunc dicitur
parva villula, in qua nullus honor exhibetur nec Christo, nec
ministris ejus. Olim tamen tempore beati Jeronymi erat ibi

